

Die 30 aprilis
S. QUIRINI, MARTYRIS
PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS
NOVESIENSIS

In civitate Novesiensi sollemnitatis

Quirinus tribunus Romanus una cum filia sua Balbina ab Alexandro I papa baptizatus et Hadriano imperatore coronatus esse martyrio traditur. Depositus est Romae in coemeterio Praetextati. Anno 1000 reliquiae eius in coenobium monialium Novesiense translatae sunt. S. Quirinus una cum S. Antonio abbate, S. Huberto episcopo et S. Cornelio papa inter „Quatuor Marescalcos Ecclesiae Coloniensis“ a saeculo quintodecimo honoratus et cultus est. Die 30 aprilis festum translationis reliquiarum eius celebratur.

De Communi unius martyris, Vol. II., 1536, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS (ad libitum)

Christum laudemus carmine,
qui sanctum suum martyrem
Quirinum fuso sanguine
caelum concessit scandere.
Hic Dei fretus gratia,
mundi contempsit lubrica,
lesu sequens vestigia,
adeptus est caelestia.
Cuius spiritus choreis
iam coniunctus angelicis,
fruitur caeli gaudiis,
aeternis laetus praemiis.
Adsis nunc nostris, quaesumus,
sancte Quirine, precibus,
ut mereamur omnibus
solvi culparum nexibus.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar, unice,
cum Spiritu Paraclito,
in sempiterna saecula. Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Homiliis sancti Ioannis Chrysostomi in Epistolam ad Romanos.

(IX, 3–4: PG 60, 469)

Patientia et probatio ex tribulatione

Cogita quanta sint futura, quando de iis quae tristia esse videntur, altum sapimus; tantum est Dei donum, et sic in illo nihil ingratum est. Quia enim multae tunc erant tentationes, regnum autem in spe erat, et graviora prae manibus, bona autem in exspectatione; hoc autem infirmiores frangebat: ideo ante coronas iam illis praemia largitur, dicens oportere in tribulationibus gloriari. Nec dixit, „oportet vos gloriari“, sed, „nos gloriamur“, inquit, in propria persona adhortationem inducens. Deinde quia dictum illud novum inopinatumque esse videbatur, quod cum fame luctantem, cum catenis, cum tormentis, cum contumeliis et opprobriis gloriari oporteret, illud demum probat; quodque maius est, haec gloriatione digna dicit, non tantum propter illa futura, sed propter praesentia; nam ipsae per sese tribulationes bonae sunt. Quare? Quia ad patientiam excitant. Quapropter cum dixisset, *gloriamur in tribulationibus*, causam adiecit dicens, *scientes, quod tribulatio patientiam operatur*. Vide rursum contentionem Pauli, quomodo in contrarium sermonem vertit. Quia enim tribulationes efficiebant, ut illi animum desponderent circa futura, et desperarent, dicit propter illas ipsas fidendum, nec de futuris desperandum esse. *Tribulatio enim patientiam operatur*, inquit, *patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit*. Non modo enim tribulationes spem huiusmodi non tollunt, sed etiam astruunt. Ante futura enim magnum fructum tribulatio habet, nempe patientiam, et quod probatum faciat eum, qui tentatur.